DE OSSEIS TUMORIBUS OBSERVATIONES AUCTORE ANTONIO MATANI...

Antonio Matani

Difficile quidem eſt homines in multis non peccare; quaedam omnino ſunt ignota, alia perperam examinata, alia negligentius ſcripta.

Galen. *De Comp. Medicam. l. II. p.* 177.

NOBILISSIMO PRAESTANTISSIMOQVE VIRO

Philoſoph. Et Medicin. Doct.

Saec. Noſt. Dec. Et Ornam. Exim.

ALBERTO V. HALLERO

Omn. Facult. Gener. Peritiſſim.
Medicin. Anatom. Botanic. Et Chirurg.
In Georg. Auguſt. Profeſſ. Public. Ordin.
Praeſid. Colleg. Chirurg.
Archiatr. Reg. Et Conſiliar. Aulic.
Reg. Magn. Britann. Et Elector. Hannoverens.
Socier. Reg. Scient. Gottingens. Praeſid.
Academ. Reg. Scient. Et Optim. Art.
Pariſiens. Et Chirurg.
Londinens. Stokolmiens. Vpſaliens.
Berolinens.
Societ. Caeſar. Germanic. S. R. I.
Leopold. Carolin. Natur. Curioſ.
Norimbergens.
Imperial. Phyſic. Botan. Florentin.
Inſtitut. Bononiens. &c. Socio
Suprem. Senat. Sereniſs. Reipubl.
Bernens. Helvet. Ducentumv. &c. &c.

Opuſculum Hoc

De Oſſeis Tumoribus

D. D. D.

Antonius Mazuni.

PRAEFATIO

NEminem latet Medicinae, & Chirurgiae incrementa ex aſſiduis obſervationibus eſſe praecipuè deſumenda: Patet enim iis maxime temporibus, quibus obſervationes a veteribus raro peragebantur, nonniſi fortuitis experimentis tribuendam eſſe quarumcumque aegritudinum curationem. Idipſum tamen nequaquam agnoſcimus recentioribus contigiſſe, qui licet a veteribus multa didicerint, quae Salutarem Artem non parum colluſtrant, majorem tamen obſervationum numerum ſibi comparare ſtuduerunt modo ex ſimplicibus aegritudinum varietatibus, modo ex organica partium ſtructura, modo vero ex Phyſicis principiis eruendum. Dum itaque mihi etiam ea obſervare contigerit, quae in explicanda Tumorum oſſeorum natura a veteribus recentioribuſque prolata fuerunt, pariterque cognoverim ea,

quae

quae ex oſſeis aegritudinibus ſaepe obſervatis, & ex oſſium fabrica deduci poterant, ſolertiſſimè fuiſſe a recentioribus pertractata, nonnullas duntaxat obſervationes proponendas, atque alienis addendas eſſe putavi, quae diverſas oſſeorum Tumorum mutationes è Phyſicis praeſertim deductas principiis reſpicerent, ut clarius & ubertas Tumorum natura Medicinae, & Chirurgiae cultoribus pateſieret. Quare in duas partes univerſa haec tractatio dividitur, in quarum prima de Tumorum oſſeorum natura, & diviſionibus, in altera de praecipuis remediis eſt diſſerendum, quae adhiberi ſoleat ut tales aegritudines depellantur. Veruntamen ut claritas, & ordo aliquis ſervetur, poſt neceſſarias expoſitas diviſiones praecipuae ſingulis Tumorum generibus animadverſiones apponentur, & non pauca explicabuntur, quae ipſorum cognitionem, curationemque reſpiciunt, & majus aegrotantibus adjumentum ſunt allatura. Monendi tamen ſunt qui ſedulam Medicinae, & Chirurgiae ſtudiis dant operam, integram & numeris omnibus abſolutam hic tractationem non exhiberi, ſed quaſdam duntaxat obſervationes proponi, è quibus reliqua deducuntur, quae Tumorum oſſeorum doctrinam contineantur. Omnibus vero hic

luculenter expoſitis ſperandum eſt exiguos labores meos non ſolum Medicis , & Chirurgis , ſed aegrotantibus ipſis prodeſſe poſſe : Horum namque

non gloria nobis
Cauſa, ſed utilitas, officiumque fuit (*a*)

DE

(*a*) *Ovid.* De Pont. l. III. eleg. 9 v. 55.

DE OSSEIS TVMORIBVS OBSERVATIONES

PARS PRIMA.

§. I.

EA plerumque eſſe ſolet miſerrima partium humani corporis conditio, ut juxta diverſas, quibus obnoxiae fiunt viciſſitudines, diverſis iiſdemque graviſſimis aegritudinibus ſubiiciantur. Id autem vel ab ipſa earumdem efformatione deducendum videtur, vel a cauſis quibuſdam ſaepe delitescentibus, quae ſive repente patefiunt, ſive integram propriamque naturam occultam relinquunt obſervatoribus. Haud aliter de morboſa oſſium magnitudine dicendum eſſe nemo unus ignorare poterit qui ipſorum alterationes & varietates inſpexerit: Ipſe enim ad cauſas innumeras eſſe confugiendum agnoſceret, & ingenuè fateretur. Haec maximè dum ego ipſe perpenderem meas etiam proponere Medicinae, & Chirurgiae cultoribus ob-

ſervationes conſtitui, ut ex his aliquod in aegrotantes redundaret emolumentum. Neque me latet permultas a Medicis praeſtantiſſimis, & aliquibus Chirurgiae Sriptoribus fuiſſe in lucem prolatas obſervationes (*a*), quas ipſi ex optimis uberrimiſque praeſertim Anatomiae fontibus deprompſerunt ut Tumorum naturam, & eventum exponerent. Sed tales ſunt nonnullorum obſervationes ex Anatomicis, & Phyſicis deductae principiis, ut diverſa planè ratione in explicanda morboſa oſſium magnitudine nonnumquam cogitandum eſt, ſo penè omnes conſentiant, & ingenuè

(*a*) Vid. *Ingraſſ. De Tumor. Neapoli* 1553. *Fallop. de Vlc. & Tumor. Venetiis* 1563. *Arant. de Tumor. Venetiis* 1587. *Rud. de Tumor. Venetiis* 1600. *Saport. De Tumor. Lugduni* 1624. *Schelammer. De Tumor. Jenae* 1695. *Bozzical. Nov. Syſt. De Tumor. Parmae* 1701. *Maub. Trait. Des Tumeurs &c. A Paris* 1702. *Salzman. De Tumor. quib. &c. Argentorati* 1719. *Slevogt. De Tumor. tunic. Jenae* 1719. *Gouraign. De Tumor. hum. en gen. Monſpelii* 1731. *Burchard. De Tumor. Scyrrh. Roſtochii* 1737. *Gockel. De Oſſ. Tumor. Helmſtadii* 1740. *&c. &c.*

nuè fateantur. Quamobrem quibuſdam fretus obſervationibus aliqua non inutilia proponam, ut res, de qua agitur, illuſtrari non parum valeat.

§. II.

Oſſium fabricam Medicis, & Chirurgis penè omnibus perſpectam eſſe credendum eſt, quotieſcumque ipſi tempus aliquod in cadaverum inciſione inſumpſerint, & eorumdem deſcriptiones ab Anatomicis traditas abundè perſpexerint. Talem vero eſſe oſſium texturam ut nonniſi ob cauſam vehementer agentem diverſam contrahere valeant magnitudinem, durities illa demonſtrat, qua praedita ſunt, quaeque ſolet efficere ut irritabilitati difficile ſubjiciantur. Haec autem non modo ex organica, atque terreſtri eorumdem natura (Vid. §. XVI.) deducitur, ſed ex neceſſario humani corporis fulcimento, quod ſuppeditare debent, cum illa idem efficere videantur quod trabes in domibus. Mollia tamen quandoque reperta fuiſſe (§. VI.) teſtantur obſervationes (*a*) at-

(*a*) Inter caeteros, qui hoc obſervarunt, recenſendi praeſertim ſunt Daniel Prettennjus Medicus Helſingorea-

atque hujus indolis artificioſe reddi poſſunt in machina Papiniana (*a*), idque ex aeris & aquae mixtione quadam deducendum eſſe videtur quoties in eadem machina intra cylindrum aeneum oſſa duriſſima quorumcumque animantium ita collocentur ut nihil aeris, ſive aquae egredi poſſit: Nam ebulliente aqua ob appoſitum ignem, talem aer, & aqua ſe expandendi facultatem adipiſcuntur, ut proportio aliqua cum addito calore conſtituitur, & magna admodum cum iiſdem oſſibus tum aeris tum aquae efformetur adhaeſio, quae ex maxima, eademque ſuperaddita, qua moventur velocitate dependet (*b*). Sed ex

ſis *Act. Hafn. Vol. III. obſ.* 24. & Barbejus du Bourg *De vit. org. ſomn* §. *I. Pariſiis* 1741.

(*a*) Vid. *Act. Erudit. Lipſiens* an. 1682.

(*b*) *Ipſas demum fibras oſſeas ex glutine compacto natas eſſe morbi demonſtrant, quibus oſſa duriſſima liquefacto glutine in cartilaginem, carnem, gelatinam edeunt. Similia facit in piſcium oſſibus, aliiſque Papinii machina*. Vid. *Halle Pr. lin. Phyſ. cap. I.* §. 15. *Gottinga*, 1751.

ex ſola duritie parum aut nihil deducitur ſi fides ſit habenda veteribus, quorum pleriſque exteras duntaxat corporis proprietatea ſenſibus nimia obvias perſpexiſſe compertum eſt.

§. III.

Obſervandum tamen, ſolidas partes, quae nonniſi ex humoribus efformantur, varias ſubire poſſe mutationes: Oſſa enim igne calcinata priſtinam retinent formam, ſed in vaſe clauſo igni expoſita molleſcunt, iterumque affuſo oleo, vel aqua priſtinam denuo duritiem adipiſcuntur. Quod ſi in aqua multum coquantur craſſum acquirunt coagulum, expoſitaque deſtillationi parum ſalis & olei praebent. Aliquid vero pingue in oſſibus reperiri, quod terreſtres praecipuè partes inter ſe valeat colligare, demonſtrant praè caeteris experimenta Du-Verney (*a*). Recentioribus tamen admodum arriſiſſe humanorum corporum inciſiones ſit manifeſtum quotieſcumque inventa quaedam ſedulo conſiderate quis velit ex optimo partium examine deducenda. Haud aliter oſſium ſtructuram expoſitam diligenter fuiſſe glotiantur Ana-

(*a*) Vid. *Memoires de l' Acad. Royal. des ſciences an.* 1700.

Anatomici : Quamvis enim eorumdem deſcriptiones in medium afferre videatur ſupervacaneum, inutile tamen ſufficiat, non modo de ipſorum numero, figura, magnitudine, internis externiſque partibus, cavitatibus, ſitu, inaequalitate, ſubſtantia, adhaeſione, motu, ligamentis, aliiſque rebus innumeris fuiſſe cogitatum, ſed illud etiam experimentis aſſiduis conſtitutum, non ipſam duntaxat duritiem, ſed albedinem quoque ſanis oſſibus defuiſſe, cum innumera ſint exempla oſſium, quae vario, & multiplici colore donantur (*a*). Id autem tametſi in ſtatu morbi deprehendi facile poſſit, ut fit ex Contuſione, Inflammatione, Abſceſſibus, medullae corruptione, Carie, ablatione perioſtii, & Spina Ventoſa, ceu innuit Boerhaavius (*b*) tamen & in ſtatu valetudinis detecta illa ſunt diverſis inſtructa coloribus.

§ IV.

Illa oſſium magnitudo, quae praeter.

(*a*) Artificiali experimento coloris varietas in animantium oſſibus detecta eſt. Vid. *Haller Memoir. ſur la form. des os pag.* 9. *A Lauſanne* 1758.

(*b*) *Inſtit. Medic.* §. 869. *Lugdun. Batav.* 1740.

ternaturalis revera eſt, in quacumque parte conſpicitur, & eruitur ex producto altitudinis, ac latitudinis per profunditatem, nec non ſub aequali denſitate ea eſt ut pondus. Ipſam vero a multiplici humorum congeſtione creditum eſt ut plurimum dependère. Tumoris autem nomine, Graecè ὄγκος, appellari ſaepiſſime conſuevit, & ad compoſitas reducitur aegritudines. Non ſolum autem communes habet cujuſcumque corporis dimenſiones, ſed peculiarem duritiem (§. II.) ita ut in hoc Tumor ab oedemate differat, quod nempè in oedematoſis Tumoribus, qui in mollioribus corporis partibus collocantur, longe minor appareat reſiſtentia, quae tametſi difficile evaneſcat, in oſſibus tamen ſolet quam maxime perdurare. Tales ſunt effectus Cachexiarum tumidarum, quae Tumores aliquos ſemper exhibere ſolent in variis ſpecies diviſos: Univerſalis enim nonnumquam obſervatur intumeſcentia, quae ab aucta adipis quantitate dependet, vel cutis intumeſcentia ſive flatulenta, ſive oedematoſa ſit, quae in infimo ventre collocata elaſticitatem quamdam praeſefert, vel intumeſcentia humoralis, quae ſive in capite, ſive in infimo ventre, ti-

ve.

ve in aliis partibus continetur, vel intumeſcentia hypogaſtrii ab impedita urinae excretione dependens, vel tandem intumeſcentia cancroſa, & ſtrumoſa, atque aliae hujus generis, quarum cauſae obſervationum ſubſidio facillimè dignoſcuntur (*a*).

§. V.

Si attentè conſideretur vegetationem quamdam in humani corporis partibus aſſiduè perfici, facile omnibus enitelcet non oſſium nutritionem duntaxat, & incrementum, ſed etiam reſtitutionem amiſſae ſubſtantiae eſſe admittendam ex delatis humoribus manantem, quemadmodum in fracturis, atque vulneribus obſervatur. Veruntamen ſubſtantia illa, quae oſſa fracta conſolidat, mollis apparet, ſed paulatim oſſeam acquirit duritiem, quae diu ſolet in ſanis corporibus perdurare. Hinc eſt quod ſi a qualibet cauſa oſſium vaſcula dilatentur, nutrientemque ſubſtantiam magna copia recipiant, ea profectò naſcetur oſſea magnitudo, cui Tumoris nomen conceſſum eſt. Humorum profectò vires menſurantur ab eorum quantitate, & velo-
ci-

(*a*) Vid. *Sauvages Naſk. Meth. Amſtelodami* 1752.

citate, aut niſu, quo truduntur. Quoniam vero valetudine permanente quoddam veluti naturale aequilibrium aſſervatur inter ipſas, & vires vaſorum, a quibus humores humani corporis continentur, hinc eſt quod humorum vires in ſolidia partibus hujuſcemodi ſublato aequilibrio majores evadunt, ſeu partium ſolidarum vires haud parum imminuuntur. Animadvertendum tamen eſt nonnullas aliquando in aliquibus humani corporis partibus obſervari mutationes, quae morboſam oſſium magnitudinem aemulantur, & circa cutem duntaxat pateſiunt. Hujus profecto generis ſunt protuberantiae quaedam oedematoſae, quae haud raro in virorum teſticulis, & mammis foeminarum apparent, nec non furunculi, bubones, polypi, parotides, carbunculi, cancri, ſcyrrhi, atque aliae aegritudines, quae perſaepe omnium oculis eniteſcunt. Sed nunc de iis agitur, quae infra cutem collocantur, & paulatim augeri conſpiciuntur. Non autem quaelibet immutatio ex incremento duntaxat partis, quae aliqua afficitur aegritudine, ſemper eſt deducenda, quin ad res alias extrinſecas eſt confugiendum, cum nonnunquam pars eadem minuatur, atque adeo

deo appareat illam augeri, quia fluidum aliquod in parte ipſa diu poſitum morboſam repraeſentat magnitudinem, quae non ſemper ſolidorum augmento adſcribenda erit, licet pars ſummopere adaucta quamdam ſolidae partis extenſionem praemonſtret. Quamvis itaque Tumores oſſei vix differant a Tumoribus aliarum partium, magnitudinem tamen oſtendunt, quae poteſt Tumoribus cujuſcumque generis convenire (*a*).

§. VI.

Rarum profecto videtur oſſeas humani corporis partes admodum duras molleſcere (§. II.), & magnitudinem nonnumquam ingentem contrahere; ſed ſolertiſſimae Anatomicorum obſervationes demonſtrant circuitum quemdam humorum in oſſibus peragi, cujus ope non modo aſſervari queant, ſed molleſcere, & mirum in modum extendi: Non ra-

ro

(*a*) Apparet itaquè oſſeorum Tumorum extenſionem cognoſci poſſe, ea profecto ratione, qua Tumorum Aneuryſmaticorum conſtituitur magnitudo, quemadmodum alibi demonſtravi. Vid. *De Aneuryſm. Praecord. morb. Animadv.* §. *XXVII. pag.* 48. *Florentiae* 1756.

ro enim accidere ſolet ut in quadam oſſis parte humor aliquis magna copia deponatur, adeo ut quacumque ſecluſa alterius aegritudinis ſuſpicione pars illa oſſis plus aequo irrigetur, & tractu temporis mollis reddita facilius ad intumeſcendum diſponatur, vel calloſam ſaltem naturam acquirat propter imminutam partium, quae oſſa conſtituunt, rcſiſtentiam (*a*). Veruntamen obſervandum ſupereſt aucta humani corporis oſſa mollia quondam minuſque protenſa fuiſſe: Non multo enim tempore poſt conceptionem tenellum hominis corpuſculum in utero materno fluctuans informis, & penè fluentis materiae quantitatem repraeſentat, adeo ut a fluidi ambientis preſſione vix ſubſtineatur, Et fanè nihil aliud ſunt foetus principia niſi ſimplices humoris guttulae, ex quibus membranae, & oſſa ipſa citiſſimè conficiuntur, & univerſa foetus fabrica no-

B vem

(*a*) Vid. *Boehmer. Proluſ. qua call. oſſ. à rub. tinct. radic. paſt. inſect deſcr. Lipſiae* 1752. *Detlef. Diſſ. oſſ. call. gen. & call. nat. per fract. in an. rub. rad. paſt. oſſ. dem. exb. Gottingae* 1753. *Haller Memoir ſur la form. deſ. oſ. A Lauſanne* 1758.

vem circiter menſibus efformatur. Paulatim vero membranoſae quaedam exhibentur, molleſque partes, quae in oſſa ſolidiſſima convertuntur: Quinimmo dentes ipſi, qui durifſimi poſtea evadunt, mollea admodum in iis reperiuntur, quos lucem recenter novimus adſpexiſſe.

§. VII.

Apparet igitur plurimas humani corporis partes toto vitae curriculo renovari, imminui, conſolidari, & multiplices ſubire mutationes, quae facile omnibus innoteſcunt: Perſpectum namque eſt graciles infantium partes, quae ſenſim incipiunt in adoleſcentia conſolidari, in virilitate firmiores evadere, atque in ſenectute multum convaleſcere, & ad interitum ruere, donec in terreum cadaver immutatae priſtinas qualitates amittant, & novas prorſus, longeque diverſas adipiſcantur, quemadmodum in vegetabilibus, & mineralibus ipſis animadvertitur. Nil itaque mirum videri debet ſi veteribus hujuſcemodi mutationes adeo mirabiles viſae fuerint ut eaſdem fieri vix poſſe crediderint: Ipſis enim non circuitum duntaxat humorum per oſſium ſubſtantiam, ſed circuitum quoque ſanguinis ignotum fuiſſe conſtat uſque dum ex obſervationibus pateſieret,

Ce-

Ceterum ut ad rem noſtram redeamus eſt obſervandum praecipuos Tumores oſſeos, de quibus agendum eſt, & qui multiplices praeſeferunt mutationes, ad Spinam Ventoſam (§. VIII.) Paedarthrocacem (§. X.) Exoſtoſin (§. XI.) Nodos (§. XII.) Tophos (§. XIII.) & Gummata (§. XIII.) praeſertim reduci, nec non ad aegritudinem illam veteribus prorſus ignotam, quam Rhachitidem (§. XIV.) appellant, quaeque circa annum 1634. in occidentalibus Angliae regionibus obſervata fuit, ac deinde per Angliam ferè univerſam, aliaſque Europae provincias circa Septemtrionales praecipue plagas quam citiſſime propagata.

§. VIII.

Ægritudo illa Arabibus primum nota (*a*), quae Spinae Ventoſae nomine a veteribus recentioribuſque vocari ſaepiſſime conſuevit, & a Rhaze primum deſcripta eſt (*b*), ab oſſio re-

B 2 prae-

(*a*) Vid. *Van-Swieten Comm. ad Aphor. Boerhaav. Text.* 526. *Lugdun. Batav.* 1753.

(*b*) Vid. *Freind. Hiſtory of Phyſick from the time of Galen to te beginning. of the ſixteenth. London* 1751.

praeſentatur Tumore ; qui ab aliqua humorum labe dependet, & interdum cum dolore conjungitur, vel abſque ullo dolore juxta cauſarum varietatem excitatur. Non defuere qui hujuſcemodi aegritudinem perperam ad eas retulerint oſſium alterationes, quae a carie producuntur. Licet autem humorum acrimonia ad hanc producendam non parum conferat, quemadmodum apud vetuſtiſſimas Arabum ſcholas creditum eſt (*a*), aliae tamen adſunt cauſae, quae quamlibet cariem, quae aliam agnoſcit originem, videntur excludere. Equidem ex ejuſdem formatione, & doloris quandoque defectu deducitur cariem non ſemper ibidem reperiri, ſed fieri poſſe ut nonnumquam repente naſcatur, veluti diuturna comprobatur obſervatione: Ex fluidis enim in oſſium ſubſtantia detentis deduci ſaepiſſimè ſolet, quia tunc per oſſium ſubſtantiam prohiberi neceſſario debet humorum aſſidua circulatio. Neque praecipui ſunt ejuſdem gradus praetermittendi: Vel etenim aliqua paulatim efformatur intumeſcentia cum aliquis internae oſ-

(*a*) Vid. *Avicen. Oper. Medic. Tom. II. l. 4. Lugduni* 1522.

oſſium ſubſtantiae conjuncta doloribus; vel ſtatim intumeſcentia ipſa doloribus praegreſſis fit manifeſta, vel tandem praegreſſa intumeſcentia, praegreſſiſque doloribus maxima ſupervenit inflammatio, quae rubicundum exhibet colorem, & in abſceſſum convertitur. At vero quicumque Spinae Ventoſae gradus abſque ulla cariei ſuſpicione ſupponi poteſt: Dolores namque a remotis quibuſdam cauſis excitari demonſtrat obſervationes (§. XVII.). Nemo tamen inficias ibit duriſſimas humani corporis partes cariem aliquam ſubſtinere, quae ſi a cauſa interna proficiſcatur morbos quoſdam producit, qui in gangrenam, & ulcus aliquando degenerant, atque humidi, profundi, abſconditi, & compoſiti vocari conſueverunt. Si vero externam reſpiciat cauſam fieri vix poteſt ut cum Spina Ventoſa conjungatur, & tunc ſicca, ſuperficialis, manifeſta, & ſimplex apparet niſi cum aliis copuletur aegritudinibus, ex quibus coloris immutatio, & oſſeae ſubſtantiae varietas deducatur (*a*).

(*a*) Judicium, quod de carie oſſium ferri debet, declaravit prae caeteris Fournierius *Differt. Medic. Chirurg.*

§. IX.

Sed ne ulla oriatur confuſio adnotandum profecto eſt Spinam Ventoſam ab Hippocrate (*a*) *Teredòna* fuiſſe vocatam ob quamdam duntaxat animalium illorum ſimilitudinem, quae ligna corrodunt (*b*). Ab aliis vero cum gangrena, cancro, aut ſphacelo confunditur, & ſideratio quoque vocari ſaepiſſime conſuevit. Apparet igitur non ſolam duntaxat Apoplexiam ſiderationis nomen obtinuiſſe, neque repentinae duntaxat Paralyſi tale nomen fuiſſe conceſſum. Veruntamen indolentiam quoque ſignificat (*c*), quae cum incipit gangrena dicitur. Haec autem cum cancro confunditur, cum hic non ſolum in mammis foeminarum locetur, uti veteres aliqui putaverunt, ſed alibi efformari ſaepiſſimè poſſit. Sphacelus vero tamquam effectus hujuſcemodi aegritudinum

De Car. Oſſ. §. 6. *Monſpelii* 1736.

(*a*) *De Morb. l. II.*

(*b*) De his Aldovrandus *De Inſect. l. VI. cap.* 5. *Bononiae* 1648. De Reamur *Memoires pour ſervir a l'hiſtoire des inſectes. A Paris* 1742.

(*c*) Vid. *De Gorter Chirurg. Repurg.* §. 623. *Lugdun. Batav.* 1742.

num conſideratur, & non ſemper in duris partibus ſitus eſt, verum etiam in mollibus, tuncque corruptio potius dicenda eſt, quemadmodum de ſphacelo cerebri locutus fuit Hippocrates (*a*) Plerique autem recentiorum Spinae Ventoſae nomine uſi ſunt ut morbum inſtar Spinae oſſibus infixum, & intumeſcentiam producentem ſignificarent. Ventoſitatis quidem nomen non modo pro flatulentia ventris, & inteſtinorum (*b*) ſed pro Spina Ventoſa fuiſſe ab aliquibus uſurpatum agnoſcimus (*c*)

§. X.

Oſſeus ille Tumor, quem Severinus (*d*) Paedarthrocacen appellavit (*e*),

 eir.

(*a*) *Aphor. l. VII. aph.* 13.

(*b*) Vid. *Coel. Aurelian ex Amm. & Almelow. Amſtelodami* 1722.

(*c*) Vid. *Pandolphin. De Ventoſ. Spin. morb. ſaev. Tract. cum not. Merckl. Norimbergae* 1674. *Wepferus De Spin. Vent. Obſerv. Kilonii* 1698. *Adolphus Diſſert. Chirurg. De Spin. Vent. Lipſiae* 1730. *&c.*

(*d*) *De recond. abſceſſ. nat. l. V. Lugduni Batav.* 1724.

(*e*) *A* pais *puer*, arthron *articulus*, *&* kakon *malum*.

circa oſſium articulos in pueris efformatur (*a*), etſi in adultis etiam excitari quandoque poſſit (*b*). Adnotandum tamen eſt, hujuſcemodi morbum ad Rhachiticos Tumores eſſe reducendum, quod a veteribus peractum non fuiſſe novimus qui Rhachitidem nondum agnoverant. Qua propter ex his, quae de Rhachiticis Tumoribus ſunt afferenda (§. XIV. XXII.), vera hujus aegritudinis indoles apparebit. Adnotandum tamen Paedarthrocaces nomen a nonnullis fuiſſe uſurpatum ut Spinam Ventoſam ſignificarent; ſed utraſque aegritudines revera inter ſe differre facile comprobatur (§ IX.). Nemo tamen inficias ibit Spinae Ventoſae nomen a veteribus adhibitum recentioribus nonnullis diſplicuiſſe, & ab iiſdem talem morbum aliis fuiſſe appellatum nominibus; ſed nova non eſſe rerum inveniendà nomina, neque ex aliis tran-

sfe-

(*a*) Vid. *Heiſter. Inſtit. Chirurg. P. I. l. 5. cap. 9. Amſtelodami* 1739.

(*b*) Vid. *Ruyſch. Epiſt. Anatom. Pr. XIV. De Nov. art. dec. meth. Amſtelodami* 1725. *Bidl. exerc. Anatom. Chirurg. exerc. IX. De exoſt. pag.* 102. *& ſequ. Lugdun. Batav.* 1708.

ſerenda niſi neceſſitas urgeat, ex Criticae regulis apparet (*a*)

§. XI.

Quid nam Exoſtoſis nomine intelligatur declaravit Gorraeus (*b*): Eſt enim aucta magnitudo, quae in qualibet oſſium parte producitur. Ab aliis tamen Tumoribus diſtinguitur (*c*): Perioſtium namque in Exoſtoſi multum laeditur (*d*), validiſque non reſiſtis im-

(*a*) Hic obiter eſſe adnotandum cenſeo nova non eſſe aegritudinum invenienda nomina niſi novae ſint aegritudines: Si enim Spinae Ventoſae, & Variolarum nomen ab Arabibus fuit repertum, & Ilei nomen a Romanis adhibitum, & alia permulta a Graecis inventa fuere nomina, id aegritudinum novitati eſt tribuendum. Inter plura vero illud eſt uſurpandum, quod ejuſdem aegritudinis naturam clarius repraeſentat, quemadmodum de Caro, Oppreſſione, Gravedine, Perculſione, Stupore, Preſſione, Somno, aliiſque dicendum eſt.

(*b*) *Defin. Medic. pag.* 110. *Pariſiis* 1622.

(*c*) Diſtinctionem hanc veteres neglexiſſe compertum eſt.

(*d*) *Terminum*, *&* *figuram* (ut ait

impreſſionibus. Veruntamen Spinam Ventoſam, & Paedarthrocacem circa extremitates majorum oſſium ſaepiſſimè collocari perhibetur, etſi has aegritudines aliquando in medio eorumdem naſci viderit Gockelius (*a*), & in minoribus quoque oſſibus obſervari Heiſterus (*b*) confirmet. Rhachitis vero cuncta etiam humani corporis oſſa pervadit (*c*) ſed longè diverſos producit effectus.

§. XII.

Heiſterus *Comp. Anatom.* §. 187. *Amſtelodami* 1723.) *praeſcribit aliibus* (loquitur de periostio) : *Nam ubi laeſum eſt Exoſtoſes*, *&c. oriuntur.*

(*a*) *De Oſſ. Tum.* §. *X. pag.* 11. *Helmſtadii* 1740.

(*b*) *Inſtit. Chirurg. P. II. l.* 1. *cap.* 33. *Amſtelodami* 1739.

(*c*) Plura de Rhachitide congeſſit praecipuè Gliſſonius *De Rhachit. ſeu morb pueril. qui vulg.* Rickets *voc. Tract. Hagae* 1682. plurimaſque in cadaveribus mortuorum peregit obſervationes DD. Georgio Bateo, & Ahaſvero Regemortero opem ferentibus, pariterque de hac re diſſeruit Heiſterus *Diſſert. De Rhachit. &c. Helmſtadii* 1725. addiditque *Programma*, quo demonſtratur infantes qui olim pro a diabo-

§. XII.

Non jam ex aucta ſolummodo partium magnitudine, ſed ex dolore, qui vel adeſſe, vel deficere ſolet (§. VIII.) allatae cognoſcuntur aegritudines. Hujuſcemodi dolor tutiſſimus inflammationis comes creditur a nonnullis, ſiquidem cum Spina praeſertim Ventoſa inflammatio aliqua ſaepiſſime copulatur, & pro indicio quodam Venereae Luis ab aliis accipitur (*a*). Veruntamen ubicumque produci dolorem poſſe perſpectum eſt, dummodo adſint partes, quae validas impreſſiones ab aliis partibus communicatas recipiant (§. XVII.) quemadmodum in multis obſervatur aegritudinibus, in quibus aliqua materiae quantitas efformatur ad excitandum dolo-

lo oppreſſis falsò ſupponebantur Rhachiticos revera fuiſſe. Vid. *Chuden. Diſſert, De Atroph. ſeu Mac. infant. Lipſiae* 1726. Diſſertationem hanc ab objectia publicè vindicavit unus ex Auctoris filiis in opuſculo quodam, cujus ſpecimen Gottingae propoſuit, doctioribuſque Medicinae, & Chirurgiae cultoribus communicavit.

(*a*) Vid. *Lang. Med. Epiſt. Miſcell. ep. III. Baſileae* 1554.

lorem accommodata, ſi tamen illae excipiantur, quae neceſſaria lege ſunt doloris prorſus expertes, ubi ſeu materies hujuſmodi haudquaquam, reperitur, ſeu illius actiones ab alia ſuperveniente cauſa prohibentur (*a*)

§. XIII.

At vero Tumores illi, qui ob duritiem praecipuè, atque inaequalitatem Nodi, aut Tophi vocantur, ab aegritudinibus uſque adhuc expoſitis (§. VIII. X. XI. XII. &c.) diſtinguuntur: Leves enim ſunt, aſperi, atque inaequales, & prae caeteris a Bidloo (*b*), & Cheſeldeno (*c*) ſolertiſſime deſcribuntur. Hoc autem intercedit inter utroſque diſcrimen, quod nempè in Nodis duntaxat eroſio quaedam ſub perioſtio efformatur, quae humorem quemdam emittit ad aliquas attollendas pe-

(*a*) Hujus profectò generis ſunt aegritudines ſoporoſae, atque aliae, in quibus hujuſcemodi redditur nervorum conſtitutio, ut impreſſionum vis admodum impediatur.

(*b*) *Exerc.t. Anatom. Chirurg. pag.* 203. *Tab.* 2. *Lugdun. Batav.* 1708.

(*c*) *Oſteog. Tab.* 45. *&* 55. *Londini* 1733.

perioſtii partes aptiſſimum, & alias producit interdum aegritudines, quae Gummata ſolent a Medicis ut plurimum appellari. Haec ab ipſa naſcuntur oſſium ſubſtantia, talemque tenacitatem habent cum aliqua mollitie aliquando conjunctam, ut digitis tangentibus facile cedant, & arborum Gummata repraeſentent, quae raro perfectam duritiem adipiſcuntur. Licet autem in iis ſaepè obſerventur, qui Luem Veneream miſerrime contraxerunt, ab ipſa tamen non ſemper oriri demonſtrant obſervationes. Et revera licet Gummata cum Atheromate, Meliceride, & Steatomate haud raro ab aliquibus confundantur, perarduum tamen videtur decernere quae nam Gummata a Labe Venerea ſint deducenda: Etſi enim ea, quae cum adductis Tumoribus aliquid commune habent, minora ſint, aliquid tamen peculiare ſemper habere videntur, quod prohibere ſolet ne ſtatim dignoſcatur, utrum ab hac, vel ab alia cauſa profluant. Ceterum quando virus inſitum latet in maſſa ſanguinis univerſa repente fiunt, & ab iis facile diſtinguuntur Tumoribus, qui aliam agnoſcunt originem. At non ſemper de Venerea cauſa dubitandum eſt. Contuſionem-

nemque diſtractioneſque, nec non diſtorſiones, dolores Arthritici, atque alia hujus indolis idipſum valent efficere, quemadmodum prae caeteris animadvertit Aſtrucius (a) Quinimmo in perſonis etiam utriuſque ſexus caſtiſſimis, quemadmodum adnotavit Gockelius (b), oriuntur ſaepiſſimè. Non ſemper conſtituta Gummatis eſſentia dolor apparet, neque unquam ſupervenire illum poſſe ſtatuendum videtur. Id equidem nonniſi ex Gummatum efformatione deducitur, quae cyſticos repraeſentant Tumores ab aucta glandularum magnitudine productos. Hos itaque cum mol-

(a) *Producuntur etiam contuſione, aut diſtractione violenta nervorum, tendinum, ligamentorum, & diuturnis doloribus Arthriticis. Ideo ſi qua valida partis contuſio, ſi qua juncturae diſtorſio, ſi quis inſultus Arthriticus diuturnior praeceſſerit, reprimendum eſt judicium, nec temerè de Lue Venerea pronunciandum ex illis Tumoribus, niſi adjuncta alia ſigna pondus addant.* De Morb, Vener. l. IV. cap. 4. §. 1. Pariſiis 1740.

(b) *De Oſſ. Tum. §. X. pag. 14. Helmſtadii 1740.*

molles, & membranoſa cyſtide concluſos intueamur, variiſque in locis conſtitutos, atque humore lymphatico abundantes, apparet tum dolorem adeſſe, quando nimirum propter hujuſcemodi humoris acredinem, quae nonnumquam exoritur, allata cyſtis ita immutatur, ut muſculari ſubſtantiae, tendinibuſque ob pravi liquoris contactum permoleſta ſuperveniat ſenſatio, niſi accidat ut Gummatis locus neceſſariam fortaſſe cum partibus facile dolorem ſuſcipientibus connexionem non habeat.

§. XIV.

Tumores Rhachitici circa oſſium articulos ſaepiſſime collocati puerorum corpora deturpare maximè ſolent, etſi adultis etiam aegritudinem hanc adveniſſe teſtetur Maycwius (*a*). Caput itaque magnum efficitur, crura admodum incurvantur, pedes non parum flectuntur, & ipſa Spina dorſi a naturali conſtitutione recedit. Haec omnia cum inaequali partium nutritione, inſatiabili edendi cupiditate, aſſiduiſque ventris doloribus, & convulſivis motibus copulantur. Aſperitas inſuper non exigua per univerſam cutem, maxima ſalivae quan-

(*a*) *Diſſert. De Rhachit. Oxonii* 1674.

quantitas, corporis pallor, & macies, ventris intumeſcentia, laxitas, languor, & ignavia, aliaque incommoda ſuperveniunt. Lateralis tandem decubitus impotentiam ex adhaeſione pleurae cum pulmonibus, pectoris anguſtiam, dentiumque lapſum aegrotantes experiuntur, & aliquando in hecticam incidunt febrem, & Atrophiam, & ad interitum miſerrime ruunt. Externae profecto hujus morbi cauſae, quae ad fracturas praeſertim, vulnera, colliſioneſque reducuntur, ab internis, iiſdemque frequentioribus ſuperantur, quae ad Scorbutum (*a*), Veneream Luem, humorum acrimoniam, Variolas, Morbilloſque referri poſſunt, & a praegreſſis quoque febribus deſumuntur. Neque repugnat affirmare, haereditatiis diſpoſitionibus impuriſque nutricibus eſſe aliquid tribuendum: Idipſum etenim compertum eſt fuiſſe a viris doctiſſimis ob-

ſer-

(*a*) Talis eſt Scorbuti vis, ut calloſa ſubſtantia, quae poſt fracturas in oſſibus efformatur, & duriſſima evadit, facile ſolutionem ſubeat, quemadmodum in itineribus ſuis obſervavit Anſonius. *Voyage round the world. London* 1748.

ſervatum (*a*). §. XV.

At vero humorum conſtitutio ab aetate, ſexu, temperamento, atque aliis cauſis ſaepè dependens aliorum Tumo-

C rum

(*a*) Inter hos recenſetur praeſertim Gockelius quidam Medicus Norimbergenſis Chriſtiani Friderici Gockelii parens. Vid. *De Off. Tum.* §. *XVIII. pag.* 18. *Helmſtadii* 1740. Hic cum aliis confundi ſolet, qui idem cognomen ſortiti ſunt: Neque notum aliquibus eſt utrum obſervationes proprias filio communicaverit, vel uberius in aliqua tractatione deſcripſerit, ſed ex ejuſdem libris rei veritatem unuſquiſque ſibi poterit comparare. Sciendum tamen eſt Eberardum Gockelium librum Auſpurgi edidiſſe an. 1679. Germanico idiomate elaboratum, in quo *de morſib. can. rabioſ.* diſſeritur, & ab Io. Chriſtoph. Gockelio eſſe diſtinguendum, qui *Chirurg. Med. Vlmae* 1740. conſcripſit. Eberardi vero extant etiam *Kurtzer Bericht. &c. & Ench. Med. Pract. De Peſt. & De Ven. Auguſt. Vindelic.* 1659. *Conſ. & Obſerv. Med Auſpurgi* 1683. *De Morb. Mag. Francofurti* 1699. *Obſerv. & Cur. nov. Vlmae* 1700. *Hiſt. Foet. Muſſipont. cum coll. a Strauſ. edit. Francofurti* 1669.

rum originem a cauſa Rhachitidis diſtinguit, niſi accidat ut vaſa, quae humores continent nutritioni oſſium inſervientes lsedantur, vel diſrumpantur, adeo ut humores ipſi circa oſſium ſuperficiem delati in cartilagineam, oſſeamque ſubſtantiam degenerent, planèque diverſos Tumores efforment, qui ad Exoſtoſes ut plurimum reducuntur (§. XI.) & a praegreſſa Venerea Lue ſaepe dependent, ſi praeſertim oreoſae oſſium partes labem conſraxerint. Id tamen ut cognoſcatur inquirendum eſt utrum indolentes ſint, atque ſubmolles, omnique caloris ſenſu deſtituantur, & in periostio tantummodo collocentur: Tunc enim ad alias cauſas eſt confugiendum, niſi cutis rubor, dolor, calor, & alia ſymptomata conſequantur. Veruntamen ex humoribus, qui bonam conſtitutionem amiſerint, ut fit in Scorbuticis, Exoſtoſes deſumuntur: Sed magis in Rhachiticis colligi ſolent, & nutritionem perturbant, niſi aliquid enatis inde obſtructionibus, aliiſque cauſis tribuatur (*a*)

DE

(*a*) Non defuère qui Rhachitidem a doemonum, & ſagarum artificio deduxerunt, quod verum non eſſe exiſtimavit praè caeteris Heiſterus *Progr. De Infant. pro a Diabol. ſupp. habit. Helmſtadii* 1725.

DE OSSEIS TVMORIBVS OBSERVATIONES

PARS SECVNDA

§. XVI.

OSſium mollitiem (§. II.) quam in aliquibus adinveniri Tumoribus eſt obſervatum (*a*) . a prava humorum conſtitutione deducendam eſſe comprobatur experimentis (*b*): Ea enim efformata deprehenſum eſt tam ſenea , quam pueros mollitiem in oſſibus contraxiſſe (*c*) . Ipſam

 e-

(*a*) Vid. *Saviard. Obſerv. Chirurg. Pariſiis* 1702. *Courtial. Nouvell. Obſerv. Anatom. ſur les os , & ſur leur malad. A Paris* 1705. *Clerc Chirurg. Tom. I. pag.* 33. *Pariſiis* 1720.

(*b*) Vid. *Gluſſ. de Oſſ. inflam.* §. 75. *Lugdun. Batav.* 1728.

(*c*) Vid. *Meekren Obſerv. Medic. Chirurg. cap. XII. pag.* 76. *Amſtelodami* 1682. *Albert. De naſ. excreſ. Italae*

equidem non jam ab animae imperio deſumendam eſſe (*a*) perſpectum eſt, ſed

---

1729. *Heiſter. Inſtit. Chirurg. P. II. l. 1. cap.* 33. *Amſtelodami* 1739.

(*a*) Quantum in explicandis humani corporis aegritudinibus a veritate aberraverint qui Stahalianas rationes adhibuerunt, ex iis apparet, quae in Halenſi Academia elapſo ſaeculo Stahalius ipſe propoſuit: Animam enim corporis actiones univerſas dirigere, illudque ita conſervare opinatus eſt, ut ſi quid ipſi noxium advenerit ſtatim corrigere, atque expellere conetur, eamdemque prudenti naturae inſtitutione aliquas inducere aegritudines, ut ſectuſa graviorum effectuum conjunctione majorem humanum corpus valetudinem queat adipiſci. Hinc nil mirum ſi falſae concluſiones ex abſurdis principiis profluxeriot, quae Medicinam, & Chirurgiam inquinarunt. Vid. *Heiſter. De hypot. Med. fallac. ac pernic. Altorfii* 1710. *Stentzel De nat. Stahal. in Chirurg. impot. Vitembergae* 1729. Sed audiendus eſt Werlhofius *Obſ. de Feb. ſect. VI.* §. 8. *Hannoverae* 1745. *Neque* (ut illa ait) *opus eſſe putaverim ut ad animam con-*

ſed ab aliis cauſis adeo vehementer agentibus, ut quandoque dolorem maximum excitent. Quoniam vero durities illa, quae in ſanis ceteroquin hominibus ex infantia ad ſenectutem tranſeuntibus augetur, non ſemper eadem in aegrotantibus perſeverat, in quorum nonnullis oſſa quandoque ipſa fragilia evadunt, molleſcunt, & incurvantur (§. II. VI. XIV.) dicendum profecto eſt hujuſcemodi mutationes modo ab inopia olei, quo tamquam glutine terreſtris, atque calcaria ſanorum oſſium ſubſtantia repletur, modo ab excedenti acidae materiae copia, qua fluidae partes humani corporis imbuuntur, eſſe deducendas. Experimenta enim oſtendunt oſſa acidis immerſa ſubſtantiis molleſce-

fugiamus, motus, quos intra nos ſapienti conſilio fieri apparet, vitales, & morbis profligandis aptos nobis neque ſentientibus, neque volentibus, immo vel contra optantibus, laborantibuſque ſollicitè, & ſapienter meditantem, eligentem, perficientem . . . . , Id conjectura ingenioſa opinamur, ſi ita lubet, vel fingimus, & excuſationibus argumentiſque Dialecticis ſuſtentamus quouſque placet.

re, atque laxari; quod tamen iis non accidit ſi eum alcalica miſceantur.

§. XVII.

Fibrarum diſtentiones dolorem in aliquibus humani corporis partibus producentes quo majores evadunt eo majorem doloris afferunt ſenſationem. Quod ſi ab eadem impellente vi ad agendum aptae reddantur fibrae, erunt in ratione longitudinum, quas prius habuerant, vireſque ad plures differentium diametrorum fibras aequabiliter extendendas accommodatae erunt propemodum inter ſe veluti quadrata diametrorum. Haec tum praeſertim conſtitui poſſunt cum dolor ab inflammatione aliqua proficiſcitur: Tunc quippe vehementior eſt quam in pleriſque aegritudinibus dolorem in aliqua parte corporis excitantibus. Quoniam vero & in ipſis oſſibus fibrarum ramuli deliteſcunt, qui in cartilaginibus quoque deprehenduntur, quemadmodum obſervavit Sonius (*a*), nil mirum ſi tales mutationes ita peculiaria adveniant, ut efformentur etiam inflammationes, quae praecipuè ex immutata fluidorum conſtitutione dependent

(*a*) Vid. *Memoires de l. Acad. Royal. des Sciences an.* 1752.

dent, doloremque inducere valent. Quare ſi major erit humorum affluxus, atque ipſi acrem, fervidam, vel in motu concitatiorem, vel aliam demum quamcumque pravam conſtitutionem adepti fuerint, vehementiores ſubſequentur dolores ab iis diverſi, qui rejecta qualibet inflammatione torquere non deſinunt aegrotantes. Ceterum ea omnia, quae huc uſque expoſuimus, clarius, & uberius ex obſervationibus eruuntur. Et ſanè non pauca in oſſibus animantium deprehendit Hallerus (*a*), quae attentionem maximam promerentur. Detexit enim prae caeteris calloſam oſſium quorumdam ſubſtantiam ex humore gelatinoſo eſſe deſumendam, qui gradatim per aliquas oſſium partes diffunditur, talemque conſiſtentiam acquirit, ut cartilagineas aemuletur ſubſtantias, & in nodos quam ſaepiſſime convertatur. Apparet etiam ex ejuſdem inquiſitionibus oſſificationis initium ex colore eſſe deducendum, qui paulatim immutatur, atque oſſa ipſorumque cavitates celerrime efformari, & a perioſtio circumdari, quod in foetu aranearum telis ſimile

(*a*) *Memoir. ſur la form. des oſ. A Lauſanne* 1758.

propemodum apparere conſuevit. Quinimmo in oſſium membranis, earumque vaſculis non modo fluida, & oleoſa quandoque obſervatur materies, quae nonniſi ab arteriis erumpit, ſed in nodoſa oſſium ſubſtantia vaſculoſum quantitas non exigua deprehenditur. Verumtamen dum calloſa ſubſtantia oſſeam induit naturam, varietas coloris, & duritiei fit manifeſta: Nullus quippe nodus non ſolum evadit oſſeus, quin prius aliquam coloris mutationem exhibuerit, ſed diſcrimen, quod intercedit inter oſſa naturalia, & ea quae iterum gignuntur, nodorum numero reſpondere detectum eſt.

§. XVIII.

Ex his omnibus apparet quid in allatis ſit peragendum aegritudinibus: Tumorum namque perſpecta indoles aperte demonſtrat pravos humores vel corrigendos, vel evacuandos eſſe. Purgantia itaque remedia, quae non parum prodeſſe videntur, non modo diſponere valent corpus ad alia recipienda majoris momenti, quae interne externèque uſurpanda ſunt ut morborum vires imminuantur, ſed morbos ipſos aliquantulum cohibent ſi cum aliis juncta fuerint: Tunc enim non ad

pur-

pirationem duntaxat obtinendam exhibenda erunt, ſed, ut caetera remedia, eorumque vires ita mitigentur, ut excretiones pravorum humorum per proprias vias obtineantur. Medicamenta vero, quae ſudorem, & perſpirationem excitare dicuntur, ideo corrigere humores deprehenſum eſt, quia per anguſtos corporis poros materiem aliquam educunt ab arterioſo ſanguine derivatam. Noxios vero humores cum ſudore foras proruere multa demonſtrant, inter quae faetor quandoquè maximus, qui perſentitur, eſt conſiderandus. In abſorbentium autem remediorum uſu commendando laborandum non eſt, propterea quod ingenuè fateor doctioribus Medicis nondum fuiſſe perſpectum quid valeant in corporibus humanis efficere (a).

§. XIX.

Miratus ſum quam ſaepiſſimè a Medicis quibuſdam abſorbentia remedia non modo admodum laudari, ſed tam frequenter adhiberi conſueviſſe, ac ſi eorumdem

(a) Ipſorum hiſtoriam complexus eſt ſupra caeteros Engelbertus Kaempferus *Amoenit. Exotic. Faſc. II. ſect. 3. pag. 391. & ſeq. Lemgoviae 1712.*

dem vires evidentiſſime innotuerint: Ecquis enim aperte cognovit abſorbentium remediorum vires, ipſorumque delectum conſtituit ex optimis, iiſdemque tutiſſimis ſincerisque deductum obſervationibus? At ſi ultro fateri quis velit hujuſcemodi detecta fuiſſe remedia, quo nam pacto poterit demonſtrare tantam ab ipſis abſorberi humorum quantitatem ut celerrima conſequatur aegritudinum imminutio? Quis demum ſe cognoviſſe affirmabit abſorbentia remedia ejus indolis eſſe ut acidas noxiaſque ſolummodo partes abſorbeant, & ſanas, utileſque relinquant? Ego equidem libentiſſime optarem, ut aliqua fierent experimenta quae talium remediorum naturam, & vires Medicis patefacerent: Tunc enim Salutaris Artis incrementum haud exiguum obtineretur aegrotantibus ſaluberrimum. Quare potius abſtergentia, penetrantia, atque putredini reſiſtentia uſurpari debent, & ea, quae obſtructionibus depellendis idonea ſunt, & magis aegrotantibus prodeſſe cognoſcitur, quemadmodum excitatum quandoque in vaſorum anguſtiis aliquod circulationis impedimentum declarare videtur. Sanguinis inſuper qualitas in iis morbis, de quibus agitur, corrigenda venae ſectione;

in

in adultis nonnumquam exigit, cum ipſi facilius eamdem ferant: In pueris vero, quorum machina quotidie magis augeri debet, noxia eſſe poteſt niſi evidens idemque maximus ſanguinis affluxus deprehendatur. Quum autem curatio difficilius in adultorum, quam in puerorum corporibus a remediis ſanguinem corrigentibus obtineri poſſit, eo quod ipſa vim propriam in tenellis puerorum corporibus facilius exerceant, hine a Medicorum prudentia quodlibet remedium in his caſibus uſurpandum jure meritoque dependet.

§. XX.

Quod ſi Tumores oſſei vetuſti admodum fuerint, & ingentem praeſeculerint magnitudinem, internis externiſque non cedunt medicamentis, adeo ut ne a ferro quidem Chirurgico aliquid obtineri poſſe videatur, quia citiſſimè ad alias tranſeunt graviores aegritudines, quae nullam exigunt curationem: Fieri enim poteſt ut aliquis nervorum plexus, atque ipſa muſcularis ſubſtantia, aliaeque innumerae partes a preſſione alicujus Tumoris oſſei talem alterationem ſubeant, ut morbus alter pejoris forraſſe indolis conſequatur, qui omnem quorumcumque medicamentorum actionem eludat. Ap-

pa-

parit igitur aliquando ad ferrum Chirurgicum, ſi opus fuerit, eſſe confugiendum (*a*), & aliquando naturae totum opus committendum eſſe, etſi futurae mortis indicia ſint manifeſta, ne mors ipſa citius ſuperveniat, quemadmodum aliquibus accepimus contigiſſe (*b*): Vel enim ſola caries curanda eſt quoties ad fuerit (*c*), vel novae febris impetus ſolummodo compeſcendus. Et ſanè allatis morbis, ſi praeſertim cum inflammatione junguntur, febris nova ſupervenire ſaepiſſime conſuevit, quae febrem jam praegreſſam, atque inflammationis comitem longe ſuperat, & a relicta humorum labe dependet, & macie confectos aegrotantes nonnumquam interimit. Interdum vero accidit ut nihil admodum ſit peragendum, ne curatio gra-

(*a*) Vid. *Hippocr. Epidem. l. III.* & *Petit De Morb. Oſſ. Tom. II. cap.* 17. *Pariſiis* 1723.

(*b*) Vid. *Dran. Obſ. Chir. obſ.* 101. *&c. Pariſiis* 1731. *& Meekren. Obſ. Med. Chirurg. cap.* 72. *pag.* 341. *&c. Amſtelodami* 1682.

(*c*) Vid. *Fournier Diſſ. Med. Chirurg. De car. oſſ.* §. 7. *Monſpelii* 1736.

gravior morbo reddatur (*a*) , licet conſtet obſervatione (*b*) quibuſdam iiſdemque optimis aſſumptis medicamentis nonnumquam corruptas oſſium particulas ſeparatas, efformatoque in mollibus partibus abſceſſu eductas fuiſſe.

§. XXI.

At ſi aliqua fiat in oſſibus ipſis mutara-

(*a*) Idipſum docent Chirurgi , qui curationes diligunt a natura promotas : Agnoſcunt enim quod *interdum docta plus valet arte malum*. Ovid. de Pont. l. 1 eleg. 4. v. 18. *Sed* , ut loquitur Heiſterus , *ſi acuta quaedam eminentia , ſive excreſcentia , quae Exoſtoſis propriè vocatur , in oſſe quodam praeter naturam protuberat , eaque nullam moleſtiam , vel dolorem , vel deformitatem creat , & Caries , ſive Spina Ventoſa abeſt , quemadmodum tales vidi , praeſtat eam meo quidem judicio non curare , quia remedium non ſolum gravius ipſo eſſet morbo , verum etiam oſſe nudato Cariem , aliave in oſſa incommoda facile concitare poſſet* . Inſtit. Chirurg. P. I. l. 5. cap. 9. Amſtelodami 1739.

(*b*) Vid. *Medic. Eſſays of the Society of Edimbourg. Vol. I. p.* 238.

tatio in purulentum abſceſſum dum Tumores ad ſuppurationem reducuntur, ſubjecta oſſa non ſolum non educentur, ſed erodi facile poterunt, pejoresque tunc naſcentur effectus ſi cranium a Tumoribus occupetur, quia ibidem ſtructura tenerior eſt, minoremque habet reſiſtentiam, ceu demonſtrant Anatomicorum experimenta. Tunc itaque aliqua ſpes relinquitur aegrotantibus ſi Tumores quantumvis graviſſimi recentes fuerint, neque graviores alias produxerint aegritudines, neque a collectione purulentae materiae oſſa facilius corrodantur ac perforentur. Adnotandum tamen eſt, aſſiduam, atque conſtantem humorum alluviem, quae Gummata (§ XIII.), & Exoſtoſes (§. XI.), aliaſque variae indolis Tumores efformare ſolet, integumenta membranaſque ipſas craſſiores nonnumquam reddidiſſe, quandoquidem ſolertiſſimae demonſtrarunt obſervationes duriſſimas calloſaſque concretiones etiam in partibus mollibus excitari, quemadmodum mihi nuper in utero muliebri contigit obſervare. Etſi ideo hujuſcemodi craſſities facile putreſcentibus materiis reluctetur, quia ſuperveniente quolibet impedimento intercipitur communicatio circulationis, cujus ope cor-

ru-

rupta materies ſanis quoque partibus communicatur, obſervatione tamen conſtat ipſam cerebri ſubſtantiam craſſioribus integumentis interdum obductam affici poſſe ſi abſceſſus aliquis efformetur in capite, neque cito aptis remediis diſſolvatur: Tametſi etenim oſſium perforationem non ſemper ſupponatur efformatam fuiſſe, cerebrum tamen propter aliquam preſſionem repentinis fiet obnoxium aegritudinibus, quas ipſe non raro comitatur interitus. Neceſſe inſuper eſt ut quaelibet impediatur inflammatio, vel diutius efformata remediis neceſſariis cohibeatur, & mitigetur, ne Tumorum curatio inutilis evadat: Inflammationes enim fieri quam ſaepiſſime demonſtrant obſervationes. Et revera Chemicis comprobatur experimentis oleoſam ſuſtantiam in oſſibus delitescere (§. II.), pariterque Philoſophica nos edocet obſervatio eamdem ſubſtantiam inflammationibus obnoxiam evadere. Nil igitur mirum ſi oſſa pingui penetrata oleo magnum igni pabulum praebeant: Narrant enim Hiſtorici (*a*), Scythicas natioues ob lignorum inopiam olim victimarum carnes ſuccenſis oſſibus concoxiſſe.

§. XXII.

(*a*) Vid. *Herodo.*, *l. III.*

§. XXII.

Quoniam vero ob Tumores Rhachiticos dorſum quoque incurvari ſaepiſſime ſolet, adeo ut curvationem vertebrarum verſus interiores partes, mediamque oſſium ſubſtantiam amplificatam nonnulli obſervaverint (*a*), quotieſcumque ligamenta, quae ad ipſum ſuſtinendum apta ſunt, laxitatem nimiam contraxerint, ſive caries in vertebris orta fuerit, ſive tandem abdominis muſculi aliquam conſtrictionem ſubierint, neceſſe profecto eſt ut roborante medicamento affectis partibus prius inunctis pectus laminis ferreis, ſive balenae oſſibus conſtringatur, efformeturque machina crucis formam repraeſentans, cujus auxilio dorſi ſpina poſſit facillime ſuſtineri. Qui vero de intortis cruribus conqueruntur appoſitis faſciis, poſtquam oſſa in propria ſede collocata fuerint, deligati in hujuſcemodi ſtatu diu detinendi ſunt, donec major oſſibus vigor, majorque firmitas ſuperveniat, nec non exercitationes aliquae corporis praeſcribendae ut partes magis magiſque roboren-

(*a*) Vid. *Malpigh. Conſult. Medic. conſ.* 96. *Patavii* 1713. & *Ballon. Conſil. Med. lib. II. conſ.* 2. *Venetiis* 1735.

rentur (*a*). Sed permulta, quae ad Chirurgicas ſpectant operationes, & curationem reſpiciunt abductarum aegritudinum praetermittuntur, eo quod utile viſum fuerit aliquas duntaxat proponere circa Tumorum oſſeorum naturam obſervationes. Quod ſi caries aliqua detegatur (§. VIII.) internaſque oſſium occupet cavitates, tunc via paranda prius eſt, è qua collecta ſanies educi poſſit, & partes affectae tales reddendae ſunt, ut remedia ſubſtineant ad deſtruendam cariem accommodata. Alias

D ve-

(*a*) Vid. *Mercurial. De Art. Gymn. Amſtelodami* 1672. *Fuller Medic. Gymn. Londini* 1718. *Platner. Op. Tom. II. De Art. Gymn. Vet. Prol.* 2. *pag.* 11. *Lipſiae* 1749. *& Bell. Anim. Med. Pract. De Corp. exerc. Romae* 1754. *&c. Infantibus, & pueris*, ut ait Willisius, *ſi quando Rhachitidi obnoxii deprehenduntur, ut lac tenue, & ſeroſum ſugant, nutricum brachiis quotidie agitentur, & huc illuc ocyus rotentur, aut curru, aut cathedra rapide vehantur, & quam primum pedibus uti, ac incedere diſcant praeſtabimus.* Pharm. Rat. P. II. Sect. 2. Lugduni 1694.

vero aegritudines a Tumoribus oſſeis productas avertere difficillimum non eſſe Tumorum natura prius perſpecta demonſtrat, niſi talia cum ipſis copulentur ſymptomata, quae diuturnas aegritudines, ac vitae periculum induxerint, quemadmodum aliquando nonnullis accidiſſe non inficiamur.

§. XXIII.

Cuncta vero huc uſque propoſita facilius intelligentur ſi ea in memoriam revocari velint, quae ſupra (§ V.) breviter fuère propoſita, quando nimirum vegetationem illam, quam in plantis eſſe admittendam omnes conſentiunt, oſſibus quoque non eſſe denegandam arbitrati ſumus. Haec nihil aliud eſt, adnotante Chriſtiano Gottlieb Ludwigio (a) niſi quaedam ſucceſſiva mutatio, quae a definito fluidorum per ſolida motu producitur, quaeque nimium aucta, & a pravis dependens humoribus Tumores in oſſibus maximos valet efficere, quemadmodum oſtendunt obſervationes. Et ſanè peculiaris mihi olim fuit obſervatio communicata, quae

(a) *Hiſt. Phyſic. Regn. Vegetabil. Praelect. Academ. Accom. P. II. c. 1 §. 311, pag. 160. Lipſiae 1757.*

quae publicam lucem adſpexit (*a*), ex qua deducitur Tumores maximos in capite cujuſdam artificis exortos fuiſſe, quorum unus 14. pollices Anglicos adaequabat. Horum autem natura comprehendi maxime poteſt non modo ſi interna oſſium fabrica praenoſcatur praeſertim ex Winſlowio (*b*) Palfino (*c*) & ex poſtremis Monroii deſcriptionibus eruenda (*d*), ſed etiam ſi ea ſedulo conſiderentur, quae ex Phyſiologicis atque Chirurgicis principiis deſumuntur; Tunc enim praecipua quoque innoteſcent remedia, quae magnum tribuere poſſunt Medicis, & Chirurgis ſolatium, maximumque aegrotantibus adiumentum ſunt allatura, niſi fortaſſe quidpiam advenerit, quod laudabiles naturae conatus valeat impedire.

FINIS.

(*a*) Vid. *Tranſact. Philoſoph. for the year* 1757. *n.* 42.

(*b*) *Expoſit. Anatomiq. du corp. hum. A Amſterdam* 1743.

(*c*) *Anatom. Chirurg. Tom. I. p.* 9. *A Paris* 1724.

(*d*) Vid. *Eſtrat. dell. Letterat. Europ. Tom. IV. pag.* 251. *Berne* 1759.

ANTONII MATANI

EPISTOLA ANATOMICA AD AMICVM

Quum certum exploratumque ſit maximam Medicinae cultores utilitatem ex inciſione cadaverum capere potuiſſe, quotieſcumque ipſi rariores naturae luſus fuiſſent ſcalo contemplati, mihi etiam idipſum eventurum fore ſperandum ſemper fuit, cum tempus haud exiguum in Anatomicis obſervationibus peragendis inſumpſerim. Aliquas vero ex his Tibi communicare jam in animum induxeram; ſed unam praecipuè a me nuper inſtitutam breviterque deſcriptum praeſens Tibi ſuppeditabit epiſtola: Septuagenarius namque vir ob catarrhalem affectum die 25. Martii hujus Anni 1760. Piſis vita functus opportunum admirationis aperto cadavere adſtantibus praebuit argumentum. Renes habebat in ea parte, ubi natura illos in homine collocavit, ſed figura elliſſoidica deſtitutos, ſimulque ita junctos in inferiori parte verſus inteſtinum rectum, atque veſicam uri-

urinariam , ut meniſcum , ſeu lunulae dimidium efformarent , cujus cornua diaphragma , aliaſque ſuperiores reſpiciebant partes . Nullam tamen in capſulis ſubrenalibus alterationem contigit invenire , niſi illam , quam ob violentam inciſionem ipſi ſuſtulerant , ſiquidem expoſitum oculis cadaver raram hujuſcemodi renum ſtructuram continere minime credebatur . Qualitas autem carnis in conjunctione abundantis illi prorſus ſimilis apparebat , qua renes utique ſolent coaleſcere , eo quod ipſa membranarum conſtitutio , color , ſubſtantia , durities , & reliqua obſervantur , quae ab Anatomicis ſolertiſſimè deſcribuntur . Arteriae & venae emulgentes , ſimulque ureteres , licet aliquantulum inflexi , in naturali ſtatu locisque collocabantur , nihilque morboſum , quod ſinitimarum partium actionem impediret valeret , in ea detectum fuit carnis congerie , quae duplici rene componebatur . Hanc vero conſtituendum videtur in prima corporis efformatione fuiſſe productam , atque periodicos vegetationis nutritioniſque gradus acquiſiviſſe , qui reliquis humani corporis partibus ſunt admodum neceſſarii : Non modo enim vaſa illa , quae ad promovendam urinae excretionem ſunt conſtituta , ſed illa etiam , quae ad ſervan-

vandos renes ſunt neceſſaria , & quibus reliqua indigent humani corporis viſcera , abſque ulla alteratione diſpoſita obſervabantur . Vnuſquiſque itaque agnoſcit ſolis naturae legibus ea ratione id effectum fuiſſe , qua in vegetabilibus mineralibuſque varietates haud abſimiles efformari non raro conſueverunt . Vale .

Dabam Piſis III. Non. Junii 1760.

I N D E X

Rerum, quae in ſingulis paragraphis continentur.

PRAEFATIO . . pag. 4.
PARS PRIMA . . pag. 7.
Introductio . . . §. 1.
Oſſium natura . . §. 2.
Oſſium mutationes . . §. 3.
Magnitudo praeternaturalis . §. 4.
Vegetatio partium ſolidarum . §. 5.
Mollities oſſium . . §. 6.
Partium innovatio . . §. 7.
Spina Ventoſa . . §. 8.
Peculiaria quaedam Spinae Ventoſae nomina §. 9.
Paedarthrocaces . . §. 10.
Exoſtoſis . . . §. 11.
Obſervationes . . §. 12.
Nodorum, & Tophorum indoles . §. 13.
Tumores Rhachitici . . §. 14.
Quorumdam Tumorum cauſae . §. 15.
PARS SECVNDA . . pag. 35.
Experimenta circa oſſium mollitiem . §. 16.
Fibrarum alterationes . . §. 17.
Indicationes . . . §. 18.
Abſorbentium remediorum abuſus . §. 19.
Symptomatum curatio . . §. 20.
Cautiones . . . §. 21.
Operationes aliquae Chirurgicae . §. 22.
Concluſio . . . §. 23.
Epiſtola Anatomica . . . pag. 52.

F I N I S.

39 936740